UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Eminentissimi Ac Reverendissimi Domini, D. Joannis Baptistæ, Cardinalis De Luca, Theatrum Veritatis Et Justitiæ, Sive Decisivi Discursus

Ad Veritatem Editi In Forensibus Controversiis, Canonicis & Civilibus, in quibus in Urbe Advocatus, pro una partium scripsit, vel Consultus respondit ; Cum Indicibus Argumentorum, Causarum ac Rerum luculentissimis. Opus Tam Judicibus, Quam Causarum Patronis, atque omnibus in utroque Foro ...

De Fideicommissis, Primogenitvris, Et Majoratibvs

Luca, Giovanni Battista de

Coloniae Agrippinae, 1690

Disc. VI. Vrbevetana Majoratus. De majoratu ordinato ad favorem senioris pro administratione ad favorem amnium, non antem pro successione ad favorem unius, an importet verum majoratum; Et an ex ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-74060

Visual Library

affectionis potius ergà unam quàm alteram lineam, dum incertus omninò erat, quinam ſuperextituri eſſent; Et conſequenter conſideravit univerſam familiam tanquam unum genus ſeù unum corpus, quodque tanquam in Collegio perſonarum, quæ omnes pariformiter ſupponebantur remotæ & extraneæ, haberet hanc prærogativam ſenior ad inſtar Decani in Capitulis & Collegijs, quod ſuprà in alijs ponderatum eſt; Atque cum iſtis conſideratio-
10 nibus procedendum eſt in hujuſmodi quæſtionibus decidendis, pro ſingulorum ſcilicet caſuum particularibus, & individuis circumſtantiis, non autem quid dicant DD. in genere, & quæ ſit magis vel minus communis cum calculis arihtmeticis, & per claſſes, ut frequenter cum nauſea fieri videmus; Unde propterea in penè identificis caſibus ſub eiſdem articulis, & concluſionibus cadentibus, adeò diverſimodè judicare oportet, quod ignarum vulgus percipere non poteſt; Difficultatem tamen ut ſuprà in præſenti caſu faciebat dicta alia conſideratio diverſitatis familiarum ſeù linearum, quodque teſta-
11 tor de ſua magis intellexerit juxtà ponderationem, quæ etiam habetur *infra in Romana legati de Caraſis diſc. 52.* atque ex hoc ſentiebam difficultatem contrà actorem, cui proindè conſului concordiam, per quam mihi ſupponitur controverſiam habuiſſe finem.

VRBEVETANA
MAIORATVS
PRO
COMITE MARCO ANTONIO DE MARSCIANO
CVM
COMITE GVIDO ANTONIO ETIAM DE MARSCIANO.

Caſus diſputatus coram A. C., & reſolutus pro Guido Antonio.

De majoratu ordinato ad favorem ſenioris pro adminiſtratione ad favorem omnium, non autem pro ſucceſſione ad favorem unius, An importet verum majoratum: Et an ex iſtius derogatione facta per Principem reſultet derogatio fideicommiſſi univerſalis ordinati inter deſcendentes; Et de alio caſu majoratus adminiſtratorij, quod non alteret naturam fideicommiſſi univerſalis & ſimplicis, neque importare dicatur verum majoratum ſeù primogenituram; Et incidenter de puncto, An vocato proximiore agnato, ſuffragetur illa major proximitas, quam agnatus ex latere paterno ſeù teſtatoris remotior, habeat cum ultimo moriente per latus maternum de eadem familia.

SVMMARIVM.

1 F*Acti ſeries.*
2 De conſil. 21. Oldrad., *ut fideicommiſſum ... ſine filiis, expiret filiis relictis.*
3 *Reſolutio cauſæ, & de ratione reſolutionis.*
4 *Accedente derogatione fideicommiſſi facta p... Principem, bona remanent libera.*
5 *Non dubitatur de poteſtate Principis deroga... fideicommiſſis.*
6 *Quid ſit propriè majoratus, vel primogenitur...*
7 *Dari poteſt plurium bonorum dominium, & ... ſeſſio penes plures prò communi, & indivi...*
8 *Stant ſimul bona ſpectare ad omnes deſcend... jure ſimplicis fideicommiſſi, & adminiſtra... nem eſſe penes natu majorem.*
9 *In hoc majoratu adminiſtratorio magis, quàm ... ceſſorio intrat differentia inter majoratu... liæ, & illos Hiſpaniæ.*
10 *De alio caſu conſimili, in quo bona ſub fideic... miſſo ſtare debebant indiviſa, & de dero... tione talis diſpoſitionis, ut non perentia... ſtantiam fideicommiſſi.*
11 *Quod proximior gravati per latus mater... vincat eum, qui eſſet proximior ſpectato ... latere teſtatoris.*
12 *Contrarium verius, refutato* Fuſario.
13 *De alio caſu majoratus adminiſtratorii.*
14 *Fructus, & redditus bonorum dicuntur q... diverſum à bonis.*
15 *Quomodò iſta controverſiæ decidi debeant.*

DISC. VI.

ANtonius de Marſciano, relicta dote tri... filiabus, novem filios maſculos æquali... hæredes inſtituit cum reciproca inter eos qu... docunque abſque filiis decedentes, omnibuſq... ità morientibus, cum ſubſtitutione pro medie... ad favorem filiarum, & pro altera ad favor... proximiorum de familia; Pro conſervatione a... tem decoris ac ornatus juriſdictionis caſtro... allodialium, quæ in ejus hæreditate relinquebat... Voluit eorum dominium, titulum, adminiſtratio... nem, & juriſdictionem eſſe debere penes natu ma... jorem pro tempore, qui fructus & emolumen... fratribus ac aliis ſucceſſoribus communicaret d... plicata parte pro ſe retenta, prohibita tamen ſe... per diviſione.

Ex dictis novem filijs, ſex obierunt abſque pro... le, unde conſolidatis bonis in Ludovico, Bern... dino, & Alexandro, iſti ſpreto teſtatoris pr... cepto, ad diviſionem proceſſerunt, deindeque d... bitantes, de incurſu caducitatis, obtinuerunt ... *Leone X.* dictæ diviſionis approbationem, cum ... miſſione cujuſcumque caducitatis, ac etiam, ... opus eſſet cum condonatione bonorum, deroga... do in hac parte dictæ teſtamentariæ diſpoſitio... ea in reliquis omnibus firma manente.

Linea Bernardini in duos ramos, ſeù colonell... diviſa fuit, Raynutij ſcilicet & Hieronymi ejuſque filiorum, atque defuncto ſine prole Franciſco An... tonio ultimo de linea ſeù colonnello Hierony... hic ſcripſi hæredem Guidum Antonium de alter... colonnello Raynutij ejus ex ſorore nepotem, qu... inſpecto communi ſtipite paterno, diſtabat dec... mo gradu, Unde propterea Marcus Antonius de eodem colonnello Raynutij, defuncto au... tem magis proximus ſeptimo gradu civili inter om... nes etiam natu major, judicium coram A. C. inſtituit ad hujuſmodi portionem defectam in vi...

vim fideicommiſſi per dictum Antonium commu-
nem ſtipitem ordinati, Sed ſtante dicta Apoſtolica
derogatione ex parte rei conventi exhibita, cum
ſubſequuta longiſſima obſervantia, ſuccubuit, pro-
dita ſententia rei conventi abſolutoria, à qua com-
miſſa fuit cauſa appellationis in Rota, ex aliis
actoris impedimentis hucuſque neglecta proſequu-
tione.

In hujuſmodi autem diſputatione, in qua pro
actore ſcribebam, duo cadebant puncti ſeu inſpe-
ctiones; Primò an adeſſet fideicommiſſum perpe-
2 tuum, ſucceſſivum & reciprocum, quod adhuc du-
raret, vel potius illud utpotè conceptum in caſu
mortis filiorum absque filiis expiraſſet in iis, qui fi-
lios reliquerunt juxta vulgare *conſ. 21. Oldradi*; Et
ſecundò, poſito quod dictum tractum ſucceſſivum
ex teſtatoris judicio haberet in univerſa deſcenden-
tia, an ceſſaſſet, ac ſublatum eſſet per dictam Apo-
ſtolicam derogationem.

De primo puncto diſputatum non fuit ob reſtri-
ctam à judice factam ad ſecundum; Dicebat enim
ipſe nihil referre an fideicommiſſum ex mente te-
3 ſtatoris duraret nec ne, dum poſita etiam duratio-
ne illi derogatum erat, atque ex hoc ſecundo mo-
tivo, nullatenus primo examinato, ad ſententiam
proceſſit, opinabatur tamen fideicommiſſum aliàs
durare, Unde propterea in iſta cauſa, ut & in aliis
adeò frequenter, expertus fui ingeniorum varieta-
tem, ex qua in dicta præſertim fideicommiſſaria
materia tanta confuſio reſultat, Ego enim potius
habebam difficultatem in primo, quàm in ſecundo
puncto.

Præſuppoſita igitur duratione fideicommiſſi ad
ad favorem omnium deſcendentium demonſtrato-
rum ſub nomine filiorum, qui in conditione poſiti
fuerunt; Quatenus pertinet ad ſecundum punctum
dictæ Apoſtolicæ derogationis, Dicebant ſcriben-
tes pro reo convento quibus judex adhærebat, quod
4 cum hodie in foro extra controverſiam ſit ſupremi
Principi poteſtas derogandi fideicommiſſis, atque
Pontifex derogaverit majoratui continenti bono-
rum unionem in una perſona, ita deſtruxiſſe vide-
batur fideicommiſſi ſubſtantiam, & conſequenter
bona remanſerant libera, perindè, ac ſi nunquam
fideicommiſſo ſubjecta fuiſſent juxtà plenè deducta
apud Otthob. dec. 249. ubi concordantes, & quotidie,
ac habetur infrà in materia derogationis.

Non negabam ego ſcribens pro actore aſſum-
ptum poteſtatis utpotè in foro receptiſſimum, re-
5 licta dubitantium opinione Scholaſticis vel Acade-
micis ingenii acuendi gratia, ex frequenter dedu-
ctis *ſub tit. de feudis* ad materiam Bullæ Baronum
ſuper ejuſdem Bullæ ſubſiſtentia, ac etiam infrà *hoc
eodem tit.* in propoſito alienationis bonorum fidei-
commiſſariorum; Prout non negabam conſe-
quentiam ſeu effectum ex hujuſmodi derogatione
reſultantem; Negabam tamen omninò, cum ſenſu
veritatis, dictum præſuppoſitum, quod ità de-
rogatum eſſet ſubſtantiæ fideicommiſſi & diſpoſi-
tionis, cum revera non verſaremur in vero ac pro-
prio majoratu, in quo diſpoſitionis ſubſtantia con-
ſiſteret; Majoratus enim vel primogenitura con-
6 ſtitui dicitur, ubi ordinatur fideicommiſſum in-
dividuum in una tantùm perſona deferendum,
plurium perſonarum ſimultaneum concurſum ex-
cludens, tanquam per ſpeciem Regni ſeù feudi
Dignitatis, aut aliàs individui, & ad formam ju-
ris Francorum, ex collectis *per Molinam de primoge-
nitura, & Mieres de majoratu illorum tractatuum
initio*, ac omnes, itaùt ſolus primogenitus vel na-
tu major dicatur hæres & ſucceſſor, penès quem

totum jus individuum, totumque dominium ac
poſſeſſio in ſolidum reſideant, quamvis eidem ali-
qua incumbat neceſſitas ex fructibus ſuppeditandi
alimenta ſecundogenitis ſub nomine vitæ militiæ,
vel appannagii ſeù alimentorum &c.

Hoc autem absque dubio in præſenti non verifi-
cabatur, dum teſtator pariformiter inſtituit omnes
filios, ac ſubſtituit eorum filios & deſcendentes
demonſtratos ſub nomine filiorum in conditione
poſitorum, juxta præſuppoſitum de quo ſupra; Et
ſic ſubſtantia diſpoſitionis continebat ſimplex ac
ordinarium fideicommiſſum dividuum ad favorem
omnium, cum eorum æquali dominio & poſſeſſio-
ne, quod de directo adverſatur majoratui vel pri-
mogenituræ; Et quamvis idem teſtator prohi-
buerit diviſionem, id non adverſatur naturæ ſim-
plicis fideicommiſſi dividui, cum paſſim detur hæ-
reditatis vel aliorum bonorum dominium com- 7
mune inter plures, nedum in bonis de ſui natura
dividuis ex ſolo jure ſocietatis voluntariæ, ſeù per
teſtatorem demandatæ, ſed etiam in bonis ac juri-
bus de ſui natura individuis, quæ penès plures in
ſolidum eſſe dicuntur, cum indiviſo etiam exerci-
tio, quod quandoque dividi ſolet, ex iis, quæ in
propoſito juriſpatronus vel feudi dignitatis cum
ſimilibus habentur *ſub tit. de feudis in Mutinen. diſc.
8. & alibi.*

Id autem, quod favore majoris natu diſpoſitum
eſt, verè non continet majoratum juxtà dictam
ejus naturam ac operationem, ſed ſolùm quan-
dam adminiſtrationem ac præeminentiam con-
ceſſam in re communi ſeniori inter eos, eo modo 8
quo juxta pluries inſinuata in præcedentibus, in
Capitulis, & Collegiis, aliiſque Tribunalibus
vel adunantiis hujusmodi præeminentia reſidere
ſolet penès primam Dignitatem ſeù antiquiorem,
qui *Decanus* vulgò dicitur, gratia melioris admini-
ſtrationis, atque ad tollenda illa inconvenientia
quæ frequenter oriri ſolent in bonis & juribus, quæ
ſunt pluribus communia; Et ſic eſt purum acci-
dens, quod non tangit fideicommiſſi vel diſpoſitio-
nis ſubſtantiam, & conſequenter per derogatio-
nem accidentis dici non poteſt derogatum eſſe
ſubſtantiæ fideicommiſſi, dum Papa expreſsè vo-
luit teſtamentum in reliquis remanere firmum;
Ideòque iſte erat quidam majoratus improprius,
adminiſtratorius magis, quàm ſucceſſorius, cui
verè & propriè congruere videtur illa differentia, 9
quæ per noſtros conſideratur inter majotatus Italiæ
ac illos Hiſpaniæ, & juxta illum majoratum, qui in
admiſtratione feudi ſeù caſtri dividui conſideratur
apud *Honded conſ. 70. lib. 2 Maluaſ. conſ. 22 Gra-
tian diſcept. 695.* & alios de quibus ſupra, *diſcept.
& in aliis.*

Cumque non de facili, exceptis mox allegatis
auctoritatibus loquentibus de caſtro vel feudo di-
viduo, ac aliis percutientibus exercitium juriſpa-
tronatus, de quibus ad ſatietatem *Ciarlin. contr.*
222. habeamus in jure auctoritates deſcendentes
ad hanc ſpeciem, Hinc proindè deducebam ego 10
exemplum ſatis proximum, ac penè individuum,
per quod probatur continuatio fideicommiſſi, non
obſtante conſimili Apoſtolica derogatione, *In una
ſcilicet Bononien fideicommisſi de Guidottis*, de qua
ad aliud tamen propoſitum habetur, *hoc eod tit.
diſc.* 44.

In eo enim caſu teſtator, inſtitutis filiis cum
perpetuo fideicommiſſo inter omnes deſcendentes
ac diligentiſſimè deſcriptis omnibus ejus bonis,
etiam minutis mobilibus, mandavit ea omnia ſem-
per ac perpetuò remanere debere indiviſa ſub ad-

miniſtratione aliquorum officialium piorum Locorum, per quos ſingulis annis fructus, & redditus æqualiter & in capita diſtribui deberent omnibus deſcendentibus maſculis, & fœminis non maritatis tanquam per ſpeciem diviſionis maſſæ groſſæ fructuum ſeù diſtributionum, quæ in fine anni fiat inter ſingulos de aliquo Capitulo ſeù Collegio, Sed quoniam iſtæ humanæ ſtultitiæ volentium diu vivere, & gubernare bona etiam poſt mortem, non ſunt practicabiles ob plura inconvenientia exinde reſultantia, ubi præſertim ſequitur perſonarum multiplicatio, Hinc ferè circa eadem tempora præſentis caſus per *Clementem VII.* conſimilis derogatio conceſſa fuit; Illa verò utpote percutiens ſolùm prohibitionem diviſionis, ac modum adminiſtrandi, non ſubſtulit ſubſtantiam fideicommiſſi, cujus, etiam reciproci lineis duratio firmata fuit *per Rotam in eadem Bonon. fideicomm. de Guidottis 24. Ianuarii, & 5 Iunii 1648. 23. Ianuarii & 7. Iunii 1649. coram Arguelles*, quarum ultima eſt impreſſa *deciſ. 315. par. 10. rec.* Et hic eſt caſus, non in alio differens, niſi quod illa adminiſtratio, quæ ibi aliquibus officialibus ſub certa mercede ſeu recognitione commiſſa fuerat, in præſenti demandata fuit ſeniori inter eos, cum mercede partis duplicis, quæ in Capitulis vel Collegiis alicui Dignitati, vel Decano frequenter competere ſolet; Quinimo dictus caſus *Bononien.* eſt fortior, cum percuteret univerſam hæreditatem, in præſenti verò percutiebat ſolum caſtra & bona juriſdictionalia aliaque eis annexa, quibus rectè congruit regimen eſſe penes unum tantùm *ut diſc 38. de feud.*

Motivabant etiam ſcribentes pro reo convento, quod ubi etiam non obſtante dicta derogatione, fideicommiſſum duraret, ſublata ſolùm dicta præeminentia majoris natu adhuc illud ipſi debitum eſſet tanquam proximiori gravati ultimò defuncti, cujus erat immediatus nepos ex ſorore, dum hodie in foro receptiſſimum eſt, ceſſante contraria teſtatoris voluntate, proximitatem ex perſona gra-
11 vati, non autem gravantis regulandam eſſe, juxta *deciſ. 21. Otthobon. & paſſim*, Ad quod probandum adducebant firmata *per Fuſar. q. 357. in fine*, ubi in individuo de agnato proximiore morientis ità magis attinente per latus maternum.

Verùm reflectendo etiam ad ſolam veritatem, dixi prædictum *Fuſarii* aſſumptum nulli penitus fundamento innixum eſſe, unde meritò eo nomi-
12 natim reprobato, non iſto loco, ſed *q.* 404, *nu.* 12. *& ſeqq.* contrarium habetur *per Rotam deciſ 53. par. 7. rec. num. 9.* Quoniam in propoſito ſpectatur illa conjunctio, quæ dependet à teſtatore, latus autem maternum eſt omnino extraneum non habendum in conſideratione, quod etiam firmant plures relati per *Otthob. deciſ 91. num 19.* ac habemus etiam in materia feudali cum ſimilibus, ex deductis *in Forolivien ſub tit de emphyteuſi diſc 3.* ipſeque judex, quamvis reo favorabilis, motivum omninò neglexit.

In propoſito item hujuſmodi majoratus ſeu primogenii improprii, ac adminiſtratorii magis quàm ſucceſſorii, non percutientis ſubſtantiam ſucceſſionis, quæ jure ſimplicis fideicommiſſi
13 omnibus deferatur, id practicavi *in una Romana ſeu Maceraten de Centini* inter pronepotes Cardinalis *Centini* aliàs *de Aſculo*, qui ordinato priùs fideicommiſſo particulari in quibuſdam locis montium ad favorem primogeniti iure veræ primogenituræ, in reliqua hæreditate nepotes vel reſpectivè pronepotes inſtituit cum perpetuo deſcenſivo, & reciproco fideicommiſſo indefinitè ad favorem omnium, ſed quia prudenter cupiebat ab uno tantùm duci uxorem, idcircò terminum præſcripſit primogenito pro tempore ad ducendam uxorem, eoque elapſo, ſecundogenito, & ſic ſucceſſivè, cum diſpoſitione, ut qui uxorem duceret, atque ita, ut vulgò dicitur, domum faceret, haberet omnium bonorum adminiſtrationem, fructus, & emolumenta, cum onere ſuppeditandi aliis fratribus quaſdam annuas ſummas pro victu & veſtitu; Hinc autem inferebatur iſtum eſſe primogenituram, quod ego negabam, cum ſubſtantia ſucceſſionis reſideret penes omnes, diſpoſitio autem prædicta reſtricta eſſet ſolùm ad fructus ac redditus, qui ſunt quid diverſum ab ipſis bonis juxta diſtinctionem, de qua *ſub tit. de feudis diſc. 61. & 62.* & ſic erat majoratus improprius, magis adminiſtratorius quàm ſucceſſorius, in quo non habetur in conſideratione prærogativa lineæ, ſed illa ætatis, vel alterius qualitatis, puta, ut in præſenti, ſtatus conjugalis primo loco juxta formam à teſtatore præſcriptam aſſumpti cum ſimilibus. Ideoque prorſus erroneum eſt in hac materia certam regulam ſeu concluſionem ſtatuere, cum totum pendeat à ſingulorum caſuum qualitate & circumſtantiis, non autem ab iis quæ per ſcribentes in deciſionibus, vel conſiliis occaſione particularium controverſiarum in ſingulis reſpectivè caſibus deducuntur, cum hic videatur error nimium clarus in omni materia, potiſſimè verò in iſta fideicommiſſaria.

BONON.

PRIMOGENITURÆ DE LUPPARIS.

PRO

MARCHIONE ENEA MAGNANO.

CVM

COMITE JOANNE LUPPARO.

Caſus variè deciſus per Rotam, poſtea concordatus.

Si de tempore facti caſus fideicommiſſi, ſeu primogenituræ, vel majoratus non extent perſonæ de genere prius vocato, ſeu proximiores; An fiat locus remotioribus, ſeu aliis de genere poſtea ſubſidiariè vocato, Vel potius ſucceſſio debeat ſtare in ſuſpenſo, ſive in pendulo, donec durat ſpes vel potentia exiſtentiæ perſonarum prius vocatarum, Et an in hoc puncto ſuſpenſionis aliqua dignoſcatur differentia inter fideicommiſſa, & primogenituras, ac majoratus; Et an ad hunc effectum differat vacatio per mortem naturalem ab illa contingente per mortem civilem, ratione caducitatis, ſeu contraventionis poſſeſſoris.

E